



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 38. Signa, & fructus verae poenitentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. XXXVIII.

Signa, & fructus vere penitentia.

Nunquam poterunt evitari peccata, nisi sit in anima ingens eorum horror, & odium: nec diuturna erunt opera penitentia, nisi sit in anima ardens desiderium acquirendæ perfectionis. Ad Sacramentum autem penitentia nunquam accedendum est, nisi præter contritionem, & voluntatem non amplius peccandi, aliquid semper speciale peccatum, præcis omnibus ejus occasionibus, deponatur. Et hoc erit præcipuum confessionum emolumentum, facere fructus dignos penitentia, omnem scilicet Dei offensam detestari, tremendum ejus judicium per horrere, se ipsum cum rubore & confusione arguere, ad omnem satisfactionem se paratum exhibere, omnem appetitum Divinae legi contrarium coercere, omnia peccandi pericula evitare, humilitatem suique contemptum libenter amplecti, conscientiam suam frequenter discutere, & omnes ejus sinus ac latebras diligentissimè perscrutari, eradicare, destruere, evellere ab anima quod pravum est, tum in ea ferere, plantare, ædificare quod sanctum & perfectum est. Qui hoc spiritu imbutus est, peccata sua ante oculos habet, aliena post tergum: de suis dolet, aliena non respicit: sua castigat, aliena excusat. Pericula timet, in quibus versatur, quæ multa sunt & assiduâ observatione præcavenda. Semper enim ad malum impellunt arcta societas & inevitabilis necessitudo cum rebus, & personis, quæ ad peccandum alliciunt, habitus vitiosi dudum contracti, & proclivitas ad lapsum, quæ multo major est, quam homines communiter credant, nam cum naturæ congenita sit, se blandè, ac fraudulenter in animum insinuat, rationis debile lumen obscurat, ipsamque conscientiam suffocat & sopit, ne ullo peccati sensu tangatur: atque ita fit, ut multa quotidie perpetrentur, quorum sensum adimit affectus, qui in ipsa præcipitat, & notitiam eorum tollit ipse usus malorum. Hoc videlicet habet infelix consuetudo peccandi, ut, quanto amplius quisque delinquit, eò magis mentis intuitus obscuretur.

§. XXXIX.

Peccata leviora, & vitia quomodo corrigi & extirpari debeant.

Peccata leviora, quæ venialia dicuntur, quàm facilè perpetrantur? Nemo tamen ignorat hæc levia non esse, quæ Deum magnum offendunt, ac propterea æerbissimis pœnis in altera vita expianda sunt. Quia verò ab his omnibus sine speciali Dei gratia nemo potest abstinere, omni saltem conatu enitendum est, ut eorum numerus quotidie minuatur, & unumquodque contrariæ virtutis studio sigillatim exterminetur. Sicut grassante pestilentia non solum homines lue infecti, sed illorum quoque supellex, & quidquid ad illos spectat, sollicitè evitantur, ne alios pestilenti morbo inficiant: ita cum agitur de peccatis tametsi levioribus, non ipsa solum timere & fugere oportet: sed quidquid ad illa inducit, vel ex eis oritur, ne mortiferum virus in incautos spargant. Omni ferè momento subtilissimè sese insinuant diversæ occasiones curiositatis, loquacitatis, scurrilitatis, iræ, contentionis, impatientia, evagationis, & aliarum ejusdem generis culparum & imperfectionum; & quia istæ nedum evitari, sed vix percipi possunt, hoc omnino curandum est, ut saltem ex animo omnis erga illas affectus, nequidquam reluctante naturâ, evellatur: alioquin permanente erga illas affectu, nec emendari unquam poterunt, nec remitti, etsi centies Ecclesiæ clavibus in Sacramento penitentia subiciantur. Scio quidem, de his levioribus noxis scriptum esse, *Septies cadit justus*: verumtamen ipse vir justus sic vivit, ut in eas nunquam labatur, nisi ex fragilitate, vel subreptione. Quod verò atinet ad vitia, qui cupit ea radicitus extirpare, debet imprimis cum pravus motus excitatur, ipsum coercere, tum actum contrariæ virtutis elicere: ut, si quis injuriâ afficiatur, primò quidem iræ motum frænabit, tum actum eliciet patientia & humilitatis, gaudens se pati quod meretur, idque sæpius sibi contingere optabit: mox illum sincerè diliget, qui contumeliam irrogavit, eique alacriter beneficium rependere paratus erit, quoties sese occasio obtulerit; neque enim sufficit declinare à malo, nisi quis studeat & bene operari; nec servus bene mereri de-